

ab reo fustibus vapulasset. (QUINT.)—*Respondit a cive se spoliari malle, quam ab hoste venire,* (ID.)

2. *Celo*, cum passive usurpatur, res celata in nominativo ponitur: *Si hoc celetur.* (TER.) Cui raro dativus additur: *Id Alcibiadi diutius celari non potuit.* (NEP.)

LECTIO IV.

DE VERBIS NEUTRIS.

I

De verbis neutris intransitivis.

* 1. Verbum *esse* cum cæteris intransitivis, subjectum cum attributo copulant: cum vero subjectum et attributum unum idemque fiunt, eodem casu gaudeant oportet: *Licuit otioso esse Themistocli.* (CIC.) *Iuste piæque legatus venio.* (LIC.)

* 2. Sunt quedam verba neutra, quibus addi licet accusativus nominis ab eodem verbo derivati seu cognatæ significationis; alia, apud poetas præsertim, aliis accusativis adjunguntur; non tamen ideo proprie activa dicemus: *Tutiorem vitam vivo.* (CIV.)—*Qui stadium currit, eniti debet ut vincat.* (ID.)—*Et dure quercus sudabunt roscida mella.* (VIR.) Pleraque hujus generis verba his versiculis continentur:

Prolis amant casum *curro* cum *ludere* quartum
Servio cum *vivo*, *pugno*, *gaudetque nocelque*
 Et *juro*. *Lætor* similem *roroque* reposeunt.
 Atque *gemo*, *doleo*, *sudo*, *fastidio*, *luget*
 Cum *silio* et *sapio*, *lacrymor*, *lamentor*, *anhælo*,
 Plura dabunt vates, veluti *respirat* amores:
 Dic *habitare* domum, *durosque subire* labores;
Ambulet hic terram, *pontum dum navigat* alter.

Appendix.

1. Fere omnibus verbis intransitivis adjungi possunt accusativi pronominum demonstrativorum: *hoc*, *illud*, *aliquid*, etc., adjectivorum universalium, ut *pauca*, *multa*, *quid*, etc., Aliis alii accusativi junguntur quibus tamen uti non licet, nisi scriptorum auctoritas adsit. En præcipua.

EJUSDEM SIGNIFICATIONIS.

Curro (*correr*) cursum.
Gaudeo (*gozar*) gaudium.
Noceo (*dañar*) noxam.
Pugno (*pelear*) pugnam.
Juro (*jurar*) jusjurandum.
Ludo (*jugar*) ludum.
Servio (*servir*) servitutum.
Somnio (*soñar*) somnium.
Vivo (*vivir*) vitam.

ALIUS SIGNIFICATIONIS.

Ambulo (*recorrer*) terram.
Anhælo (*respirar*) crudelitatem.
Caleo (*comprender*) sensum.
Contrêmo (*tremblar de*) hastam.
Doleo (*dolerse de*) vicem: de casu.
Fastidio (*fastidiarse de*) vinum: (*ver con repugnancia, mirar con aversion, con desden, desdeñar*) pulmentarium, mei, me
Gemo (*gemir*) malum.
Habito (*habitar*) urbem, urbe, in...
Horreo (*ver con horror*) crudelitatem.
Indignor (*desdeñarse de*) imperia.
Lacrimor
Lamentor } (*llorar*) interitum
Lugeo
Lætor (*alegrarse*) utrumque, de...
Loquor (*hablar*) prælia, de.
Navigor (*navegar*) æquor.
Oleo, *redoleo* (*oler á*) antiquitatem.
Rideo (*burlarse de, ridiculizar*) vitia.
Roro (*destilar*) imbrem
Sapio (*saber á*) picem.
Sono (*sonar*) hominem.
Subeo (*subir*) tectum; (*padecer, sufrir*) labores.
Sudo (*sudar*) roscida mella.
Sitio (*tener sed*) sanguinem.
Suspiro (*suspirar*) amores.

2. Verba intransitiva quæ *motum* significant, composita ex præpositionibus *circum*, *per*, *trans super* et *subter* accusativum postulant, ac fere ut activa habentur; ita ut passiva etiam fiant: *Annibal Alpes transiit.* (NEP.)—*Rhodanus vado transitur* (CAES.)

3. Multa etiam verba *motus* composita ex præpositionibus *ad* et *in* et quedam quæ componuntur ex præpositionibus *ante*,

con, ex, præ, accusativo junguntur: Naves Genuam accesserunt.
(LIV.) *Neminem conveni.* (CIC.) *Coire societatem.* (ID.)

II

DE NEUTRIS TRANSITIVIS.

De Genitivo.

Huc referri possunt verba sequentia:

Satāgo (*andar solícito de*) rerum, de...
Misereor (*apiadarse de*) vestri, tibi.
Obliviscor (*olvidarse de*) laudis, injurias.
Recordor (*acordarse de*) meriti, bella, de illis.
Reminiscor (*acordarse de*) virtutis, casum, de re.
Memini (*acordarse de, hacer mencion de*) hujus diei,
de illis, Cinnam.
Egeo, indigeo (*necesitar*) celeritatis, tempore.
Sum (*ser de, pertenecer á*) Pompei, (*ser de, tener*) nullius consilii.

III

DATIVUS VERBI NEUTRIUS.

* 1. Verba quæ auxilium, adulationem, commōdum, incommōdum, favorem, studium, obsequium, obedientiam, submissionem, repugnantiam significant, dativo adhærent: *Non parebo dolori meo, nec iracundiæ serviam.* (CIC.)

2. Item verba composita ex præpositionibus *ad, con, in, inter, ob, præ, sub*: *Homini jam perditō subvenisti.* (CIC.)—*An vero... quisquam tibi in curiam venienti assurrexit?* (CIC.)

* 3 *Sum pro habere, dativum personæ; pro afficere, erei et personæ postulat: Quocum mihi erant omnes amicitia necessitudines.* (CIC.) *Respondebo primum postremæ tuæ paginæ, quæ magnæ mihi molestiæ fuit.* (CIC.)

4. Huc denique spectant composita ex verbo *sum*, præter *possum*, quæ tamen alius casus non respuunt præpositionis beneficio: *Abest historia litteris nostris* (CIC.)—*Neque in illa concione interfuerunt.* (CIC.)

Appendix,

Plurima sunt hujus ordinis verba quæ alios casus exigunt pro significationis varietate: quæ sint, ex sequentibus discite:

AUXILIUM.

Auxilor, opitūlor, subvenio, succurro (*ayudar*) tibi.
Patrocīnor (*amparar*) homini.
Medeor (*curar*) vulneribus.
Medīcor (*curar*) mihi

ADULATIONEM.

Blandior (*halagar*) sensibus.
Assentor (*adular*) tibi.
Lenocīnor (*adular*) alicui.
Adūlor (*lisonjear*) alicui fortunam.
Palpor (*tocar halagando*) illi, filium.
Supparasītor (*lisonjear como truhan*) patri.

COMMODUM.

Commōdo (*aprovechar*) his.
Accommōdo (*acomodar*) alicui de habitatione: vestem corpori, ad.
Provideo, prospicio (*mirar por alguno*) salutī; (*prevenir*) insidias.
Consūlo (*mirar por alguno*) vitæ; (*consultar*) senatum de salute reipublicæ. Boni consulere aliquid (*echarlo á buena parte.*)
Indulgeo (*regalar*) valitudīni.
Sufficio (*bastar*) mihi: aliquem in locum alterius.

INCOMMODUM.

Incommodo (*dañar*) altēri.
Displiceo (*desagradar*) regi.
Detraho (*murmurar*) alicui, de aliquo: (*quitar*) torquem hosti.
Insidior (*poner asechanzas*) milīti.
Noceo (*dañar*) alteri.
Officio (*dañar ó estorbar*) commōdis alicujus.
Succenseo, subirascor (*enojarse*) illi.
Impono (*engañar*) tibi, (*poner*) finem operi.
Obtrecto (*decir mal*) alicui.
Irascor (*enojarse*) mihi, vicem tuam.
Invideo (*envidiar*) virtuti, illis bonum.
Interdīco (*vedar*) tibi aqua, aliquando, aquam (*contradecir*) prætori.
Deficio (*faltar*) mihi, vel me tempus.

FAVOREM.

Faveo (*favorecer*) tuæ laudi.
Arrideo (*reir con otro, agradar*) mihi.

Suffragor (*favorecer con voto*) tibi.
 Adstipulor (*consentir con otro*) homini irato.
 Accedo (*allegarse*) tuæ sententiæ, ad....
 Assentio (*sentir con otro*) tibi, (*conceder*) illud tibi.
 Ignosco (*perdonar*) delictis, nobis omnia.

STUDIUM.

Studeo (*estudiar*) artibus, (*afectar*) græca.
 Vacuo (*ocuparse*) juri, (*estar desocupado*) a litteris, (*carecer*) culpa.

OBSEQUIUM.

Debeo (*deber*, tibi, Reipublicæ.
 Obséquor (*condescender ó dar gusto*) roganti.
 Gratificor (*agradar*) regi, (*agradecer*) tibi hoc.
 Morigëro (*obedecer y agradar*) mihi.
 Satisfacio (*satisfacer*) vobis de injuriis.
 Placeo (*agradar*) tibi.
 Attendo (*atender*) dicenti.
 Præstolor (*aguardar*) tibi, adventum illius.
 Applaudo (*aplaudir*) alicui.
 Parco (*perdonar*) tibi.

OBDIENTIAM.

Obsecundo (*obedecer*) tibi
 Obedio, obtempëro (*obedecer*) imperio.
 Pareo (*obedecer*) tibi
 Ausculto (*obedecer*) mihi; (*escuchar*) te.
 Moderor (*moderar*) cupiditati, (*governar*) rempublicam.
 Dominor (*dominar*) regni, suis, in fortunas.

SUBMISSIONEM.

Servio, inservio, ancillor, famulor (*servir*) domino.
 Cedo (*rendirse*) nemini (*irse*) urbe, ex, (*ceder*) de jure, possessione.
 Hæreo (*apegarse*) huic, in hoc.
 Nubo (*casarse la mujer*) viro, cum viro.
 Adversor, obsisto, repugno, resisto, reclamo (*contradecir*) vobis.
 Refrāgor (*contradecir*) petitioni.
 Obsto (*estorbar ó contradecir*) conatibus alicujus.
 Obstrēpo (*impedir con ruido*) sibi ipsi.
 Reluctor (*repugnar luchando*) oneri.
 ANTE.—Antesto (*ir ó estar delante*) omnibus, ceteros.
 Antecello, antecedo (*aventajarse*) ceteris (*aliquando ceteros.*)
 Anteo (*ir ó estar delante*) aliis, nubes.

Anteverto, antevenio dandi vel accusandi postulant casum.
 AD.....—Adno, adnāto (*nadar hacia otro*) navibus.
 Acclāmo (*aclamar en favor*) alicui.
 Accūbo, accumbo (*sentarse*) mensæ.
 Appropinquo (*acercarse*) illi.
 Appareo (*aparecer*) tibi.
 Assurgo (*levantarse hacia otro*) venienti.
 Assideo (*sentarse junto á otro*) Catoni.
 Assisto (*asistir*) divinis.
 Adhæreo, adhæresco (*estar pegado*) justitiæ, in saxo, ad.....
 CON.—Congruo (*concordar*) tuæ voluntati, cum...
 Consentio, Convenio (*convenir, concordar*) mihi, cum patre de hac re: convenire aliquem (*hablar á alguno.*)
 Consuesco (*acostumbrarse*) sermoni.
 DIS.....—Dissideo {
 Discordo { *disentir* ab, cum aliquo; alicui.
 Discrepo {
 IN. . .—Insideo (*estar sentado*) menti (*ocupar*) arcem.
 Indormio (*dormir ó descuidarse*) causæ.
 Insulto (*hacer burla*) tibi, bonos, in bonos.
 Innitor (*estribar*) hastæ, hasta, in hasta.
 Inhiō (*desear con ansia*) uberibus, hæreditatem.
 Illūdo (*burlarse*) dignitati, illum, in...
 Insisto (*afirmarse*) hastæ, (*seguir*) ratiōni, ratione, in: insistere viam (*caminar*): negotium (*continuar el negocio.*)
 Ingēmo, ingemisco (*gemir*) malo.
 Illucesco (*amanecer*) mortalibus.
 Incesso (*acometer*) timor patribus, hostem.
 Illacrymor (*llorar*) morti.
 Incūbo (*echarse sobre algo*) ovis: (*empollar*) ova.
 Incumbo (*echarse encima de, apoyarse en*) gladio, in gladio, (*dedicarse á*) in studium, ad laudem.
 Insisto (*hacer instancia, estimular ó aquejar*) tibi.
 Impendo, immineo (*amenazar, dominar*) urbi.
 Insilio (*saltar*) tergo, lauros, in equum.
 Invideo (*envidiar*) nobis optimam naturam.
 INTER.—Intervenio (*intervenir*) orationi.
 Intercēdo, (*intervenir*) necessitūdo mihi tecum, inter.... (*contradecir*) legi.
 Interdico (*prohibir*) feminis usum purpuræ: Romanis omni Gallia.
 OB. . .—Occurro (*salir al encuentro*) nobis.
 Oborior (*nacer*) lux mihi.
 Obrēpo (*entrarse arrastrando, sorprender*) senectus adolescentiæ.

Obversor (*estar ante otra cosa*) animo.
 Obequito (*ir hacia otro á caballo*) castris, agmen.
 Obambulo (*pasearse al rededor*) muris, urbem.
 Obluctor (*poner fuerza ó luchar con otro*) arenâ.
 Obnitor (*estribar contra alguno*) adversis.

PRAE.—Præsto (*aventajarse*) omnibus (aliquando omnes): (*dar*) honorem patri.

Præcurro (*correr delante*) vovis—aliquem.
 Preluceo (*ir delante con luz*) majoribus.
 Præsideo (*presidir*) urbi.
 Præcello, præcedo (*aventajarse*) alicui, aliquem.

SUB.—Subjaceo (*estar debajo*) monti.

Succumbo (*rendirse*) fortunis.
 Subrêpo (*entrarse á escondidas*) illi oblivio.
 Subclamo (*clamar despues de otro*) vociferanti.
 Suboleo (*oler ó sentir*) patri
 Succedo (*entrar*) urbi, (*suceder á otro*) alicui, in locum alicujus.

IV.

ABLATIVUS VERBI NEUTRIUS.

G.—Sextum vult egeo, indigeo, vaco, victito, vescor,
 Vivo, supersedeo, potior, delector, abundo,
 Mano, redundo, fluo, scateo, fruor atque laboro,
 Glorior, oblector, lætor, quibus addito nitor.
 Consto, pluit, valeo, possum, sto, fungor et utor
 Cum careo, fido, confido, periclitor adde.
Abundare oportet præceptis, institutisque philosophiæ.
 (CIC.) *Lacte atque pecore vivunt* (CAES.)

Appendix

Verba *mano*, *fluo*, *redundo* aliter efferri possunt, si ablativus vertatur in nominativum, et nominativus in ablativum cum præpositione *ex*: *Herculis simulacrum multo sudore manavit.* (CIC.)—*Ex Herculis simulacro multus sudor manavit.*

Egeo, indigeo (*tener necesidad*) consilio, auxilii.
 Vivo, victito (*sustentarse*) palmis.
 Vescor (*comer*) pane, panem.
 Supersedeo (*dejar*) narratione
 Potior (*apoderarse y gozar*) regni, pacem, gaza
 Delector (*deleitarse*) tuis litteris
 Abundo (*tener abundancia*) doctrina.
 Mano (*manar*) e fontibus aqua, culter cruore.
 Redundo (*rebosar*) sanguine, in me fructus redundat (*á mi me alcanza el fruto*)
 Fluo (*correr lo liquido*) fluviis sanguine.

Scateo (*bullir*) vermibus.
 Fruor (*gozar*) pace.
 Laboro (*trabajar*) arma: (*padecer*) febri, de....
 Glorior (*gloriarse*) factis, de se.
 Lætor, Oblector (*holgarse*) gloria.
 Nitor (*estribar*) consilio, in aliquo.
 Consto (*constar*) animo et corpore, ex, sibi constare (*estar constante*).
 Dignor (*ser digno*), indignor, dedignor (*desdeñarse*) imperia, se, honore.
 Pluit (*llover*) lapidibus, lapides.
 Valeo, possum (*poder*) dignitate.
 Sto (*estar y cumplir*) promissis; stare ab aliquo (*ser de un partido*).
 Fungor (*gozar ó usar*) officii, officium.
 Fido (*confiar*) virtuti, virtute.
 Periclitor (*peligrar*) statu, (*experimentar*) labores.
 Utor (*usar*) consilio.

V.

ABLATIVUS CUM PRÆPOSITIONE.

Verbi neutrius.

1. Verba quæ differentiam, sive dissensionem significant, ablativum cum præpositione *a* vel *ab* admittunt: *Ut intellegatis discrepare ab æquitate sapientiam.* (CIC.)

2. Quæ contentionem significant, ablativum amant cum præpositione *cum*: *Cives cum civibus de virtute certabant.* (SALL.)

Appendix.

His omnibus verbis dativum poëtae tribuunt: *Scire volam quantum discordet parcus avaro.* (HOR.) Alias contentio vel discrepantia præpositione *inter* conjungantur: *Multum sidera inter se distant.* (CIC.)

DISSENSIÖNEM:

Discordo (*discordar*)
 Dissentio (*disentir*)

Dissideo (*ser de otro parecer*)

Discrepo (*discrepar*)

Differo (*ser diferente*)

Disto (*estar separado*)

CONTENTIONEM:

Certo (*competir*) cum civibus.
 Bello (*hacer la guerra*) cum Pœnis.

Pugno (*altercar, disputar*) cum Peripateticis.

Contendo (*pelear*) cum legionibus.

Concurro (*acometer*) inter se milites.

Configo (*venir á las manos*) cum hoste.

LECTIO V.

DE VERBIS IMPERSONALIBUS.

Hæc verba non ideo dicuntur impersonalia quod omnino persona agente careant, sed quod vel non determinatur, vel non sit prima aut secunda. Duplicis generis sunt: proprie impersonalia ea scilicet quæ absolute omnino ponuntur; vr. gr.: *fulget, fulgurat, grandinat, decet, libet* etc.; et improprie dicta impersonalia, ea quæ intransitiva sunt, et quæ passive ponuntur tertia persona: *curritur, itur, ventum est*. Attamen omne verbum impersonale, apertum vel subauditum habet subjectum, vel pro subjecto verbum infinitum, vel aliquod orationis membrum.

* 1. Verba impersonalia absolute ponuntur: *Si fulserit, si tonuerit*. (CIC.) Sed interdum aperte additur nominativus rei: *Cælum tonat omne fragore*. (VIRG.)—*Zephyrique tonat domus* (ID.)—*Mullus ut in terras deplueretque lapis*. (TIBUL.)

2. *Pluit* sicut et *ningit* ablativum fere post se habet: *Nuntiatum regi patribusque est in monte Albano lapidibus pluisse* (LIV.)—*Ninguntque rosarum floribus*. (LUCR.)

I

DE VERBIS ABSOLUTE USURPATIS.

* 3. Omne verbum absolute sumi potest, sive impersonaliter in tertia pluralis activæ, si loqui vel intelligere quo modo significant.—*Curritur ad prætorium*. (CIC.) *Tumulus in quo pugnatura erat*. (LIV.) *O præclarum custodem ovium, ut aiunt lupum!* (CIC.)

* 4. Cum activum impersonale habet accusativum, hic vertitur in nominativum, qui cum verbo in passiva consentit, cæteris immutatis: *Litteræ statim recitatae sunt huic*. (CIC.)—*Huic quoque rei subventum est*. (CIC.)

* 5. Huc spectant plurima verba activa quæ absolute sumpta, id est, sine subiecto determinato, passive exprimuntur, ut modo diximus—*Ego nominor leo* (PHAEDR.)—*Qui habentur et vocantur sapientes* (CIC.)—Hæc sunt quæ apud Grammaticos vocativa et æstimativa dicuntur.

II

GENITIVUS POST IMPERSONALE.

1. *Est, intèrest et refert* genitivo junguntur: *Est igitur adolescentis, majores natu vereri*. (CIC.)—*Intèrest omnium recte favere*. (ID.)

2. Pro genitivis pronominum personalium, assumit *est* possessiva neutra *meum, tuum*, etc., *intèrest et refert mea, tua, sua*, etc.: *Puto esse, meum, quid sentiam exponere*. (CIC.)—*Si quid esset, quod eos scire aut nostra aut ipsorum interesset*. (ID.)

Appendix.

1. *Intèrest* pro genitivo rei inanimatæ accusativum cum præpositione *ad* admittit: *Equidem ad nostram laudem non multum video interesse*. Adjungitur etiam relativo *cujus* vel *cujus*. «*Ea cædes .. crimini detur ei cuja intersit*» (CIC.)

2. His verbis adhærent genitivi pretii *magni, tanti, parvi, pluris*, etc., et pariter adverbia *multum, magnopere, vehementer* et alia ejusmodi.—*Permagni nostra intèrest te venire*.» (CIC.)

III.

DATIVUS POST IMPERSONALE.

* Dativum poscunt fere omnia quæ *evetum, convenientiam* et *commodum* significant.—*Metello Numidia evenerat*. (SALL.)—*Peccare licet nemini*. (CIC.)—*Quod beneverteret ipsi rei que publicæ*. (LIV.)

Contingit (*tocar á*) mihi.
Obtingit (*acontecer á*) filio.
Convénit (*convenir á*) consuli.
Evénit (*suceder á*) optanti.
Obvénit (*tocar en suerte á*) militi.
Usuvénit (*suceder con frecuencia á*) nobis.
Cadit (*acontecer á*) cupienti.
Accidit (*acaecer á*) mihi.
Expēdit (*convenir á*) nobis.
Confert (*ayudar á*) admirationi, ad eloquentiam.
Conducit (*ser conducente á*) illi ad commodum.
Licet (*ser licito*) nemini.
Restat (*restar*) amico nostro.
Constat (*constar*) mihi, inter omnes, de innocentia.
Incessit (*sobrecojer á*) vovis, Patres.

Libet (*agradar á*) cuique.
 Lubet (*gustar á*) vobis.
 Placet (*gustar í*) senatui
 Præstat (*ser ventajoso á*) oratori.
 Sedet (*gustar á*) Aeneæ
 Succedit (*sucedet bien á*) clienti
 Liquet (*estar claro á*) tibi.

IV

ACCUSATIVUS POST IMPERSONALE.

1. Solum accusativum postulant hæc verba:
 Decet (*ser decoroso á*) oratorem.
 Dedecet (*no ser decoroso*) puerum.
 Delectat (*agradar á*) regem.
 Juvat (*agradar á*) omnes.
 Latet (*ocultarse á*) Annibalem.
 Fugit (*escaparse á*) te.
 Præterit (*pasarse á*) me.
 Fallit (*ocultarse á*) aliquem.
 Manet (*esperar*) te, vel tibi fatum.
2. Accusativum cum præpositione *ad* habent.
 Attinet.—(CIC.) *Id quod ad me nihil attinet* (A mi nada me importa)
 Pertinet, *Ad quem suspicio pertineat*. (A quien toque la sospecha.)
 Spectat, *Quæ ad singulos spectant*. (Lo que toca á cada uno.)
3. Deniquæ accusativum personæ, et genitivum rei hæc pauca:
 Misereat, miserescit (*compadecerse*) me tui.
 Piget (*tener pena*) eum facti.
 Poenitet (*arrepentirse*) me culpæ.
 Pudet (*avergonzarse*) illum victoriæ.
 Tædet (*tener tedio*) eos vitæ.
 Pertædet (*tener tedio*) eum negotii.

LECTIO VI.

DE VOCIBUS VERBALIBUS.

Hoc nomine significamus participium, gerundium et supinum, quæ eisdem casus regunt, quos verba a quibus proficiscuntur.

I

DE PARTICIPIIS.

* 1. Tum participia præsentis, tum præteriti, cum adjectivorum formam induunt, eorum legibus subjacent, ut *doctus, peritus, iusölens*, et alia de quibus supra egimus; cum vero more adjectivorum comparantur, raro suorum verborum casum retinent.

2. Participia præsentis genitivum postulant (CIC.) *Boni cives amantes patriæ... retinentes sui juris.* Item aliqua præteriti temporis, ut *consultus, doctus, profundus*. «*Ille magis juris consultus quam justitiæ fuit.*» (ID.) Hoc frequentius apud poëtas.

3. Participia præteriti quæ scientiam, commodum hisque contraria significant, dativo junguntur: *Sperare videor Scipionis et Lælii amicitiam notam posteritati fore.* (CIC.)

4. Aliqua participia præteriti, *eruditus, doctus, peritus*, interdum præpositionem *ad* cum accusativo admittunt; *Diuturna servitute ad nimiam assentationem eruditi.* (CIC.)

5. Participia in *dus* orta a verbis neutris et deponentibus, cum passionem significant, ut passiva construenda sunt: *Medicorum imitanda consuetudo est.* (CIC.)—«*Non paranda nobis solum, sed fruenda etiam sapientiâ est.*» (ID.)

Appendix.

1. Participia *potus, pransus, impransus, cœnatus, incœnatus* activa sunt. Itidem *oxus, exosus, perosus, pertæsus*, quæ accusativum admittunt. (CIC.): *Adde inscitiam, pransi, poti, oscitantis ducis.*—(LIV) *Jam plebs consulum nomen perosa erat.*

2. Participium *futurus* dativo vel ablativo, soli, vel cum *de* adhæret: (CIC.) *Fac ut sciam quid de nobis futurum sit.*

3. Terminatio neutra participii in *dus* adjuncta tempori congruenti verbi substantivi *participiale* in *dum* vocatur; postulat autem dativum personæ, et casum proprium verbi: (CIC.) *Tuo tibi iudicio utendum est.* Hic vero dativus est communis, non secus ac alter, qui addi solet participio futuri passivi, *Gerendus est tibi mos adolescentibus.* Utraque locutio impersonalis.

4. Participia in *dus* eleganter adduntur verbis *loco, do, condūco, redīmo, mando, curo, habeo, trado, attribuo, præbeo, relinquo, suspicio, obijcio, assūmo, suadeo, admoneo, puto, et similibus*: (CIC.) «*Hic attribuit nos trucidandos.*»—(ID.) «*Quos libros... curabo ad te perferendos.*»

II

DE GERUNDIIS.

1. Gerundia non aliter ac substantiva reguntur a nomine, verbo et præpositione: itaque:

GENITIVI gerundiorum pendent a substantivo et a nonnullis adjectivis. (CIC.) «*Effëror studio patres vestros videndi*,—(ID.) «*Sum cupidus te audiendi*.»

DATIVI, ab adjectivis, verbisque dativumulantibus:—(OV.) «*Apta notando ranarum cura*.»—(LIV.) «*Ut nec triumviri accipiendo, nec scribæ referendo sufficerent*.»

ACCUSATIVI, a præpositionibus *ad, ob, inter*. (CIC.) «*Stoici traducti a disputando ad dicendum inopes reperiuntur*.»

ABLATIVI sine præpositione adhibita modum significant. (CIC.) «*Plorando fessus sum*.» Saepè reguntur a præpositionibus *a, ab, de, in*. (QUINT.) «*Scribendi ratio conjuncta cum loquendo est* »

Appendix.

1. Gerundia quæ accusativo gaudent, elegantius in passivam transeunt, accusativo in casu gerundii possito genere et numero substantivi adhibito: (CIC.) «*Princeps vestræ libertatis defendendæ fui*.»—pro *defendendi libertatem*.

2. Gerundia passiva poetis et antiquis scriptoribus relegata sunt; sic Virgilius: «*Equi ante domandum ingentes tollunt animos*;» id est, *antequam domentur*. (GEORG.)

3. Gerundia dativi et genitivi adjungi solent verbo *sum* subauditis adjectivis, *par, impar, proprius, aptus* aut aliis similibus. (CIC.) «*Solvendo non erat*.»—(SALL.) «*Regium imperium conservandæ libertati fuerat*.»

III

DE SUPINIS.

1. Supina in *um*, seu activa, verbis motum significantibus adjunguntur, et finem motus exprimunt: (NEP.) «*Philippus cum spectatum ludos iret, occisus est*.»

2. Supina in *u*, seu passiva, adjectivis admirationem, commodum aut incommodum significatibus adherent (mirum, mirabile, dignum, facilis, pulcher, etc.) «*quod opti-*

mum factu videbitur, facias.» (CIC.)—Apud aliquos auctores supinum in *u* adhibetur loco infiniti cum verbo *pudet*. (TAC.) «*Pudet dictu!*» pro *pudet dicere*.

LECTIO VII.

DE CASIBUS VERBIS

Omnibus communibus.

Communes hi casus vocantur, quod, cuilibet verbo adherere possint, quin tamen ab eo pendeant. Hi sunt: *locus, tempus, distantia, dimensio, pretium, causa, instrumentum, modus, excessus, spatium*, de quibus singillatim agendum erit.

I

DE LOCO.

UBI?—a) Respondetur ablativo cum præpositione *in*. Per propria vero pagorum, castellorum, urbium, primæ vel secundæ declinationis singularis numeri, genitivo: tertiæ declinationis vel pluralis, ablativo sine præpositione, utemur. (CIC.) «*Promitto tibi tegulam illum in Italia nullam relicturum*.»—(ID.) «*Egnatius Romæ est*.»—(ID.) «*Babylone Alexander est mortuus*.»

b) Respondetur genitivo *domi*, cui adjungi possunt genitivi *meæ, tuæ, suæ, nostræ, vestræ, alienæ*.—(CIC.) «*Nonne major sine periculo domi tuæ esse, quam cum periculo alienæ? Domi opponuntur genitivi belli, militiæ*.—(LIV.) «*Salubriora militiæ, quam domi juvenum corpora*.»—His adde *humi* et ablativum *ruri* vel *rure*.

UNDE? a) Respondetur ablativo cum præpositione *ex*, quæ tamen demitur propriis pagorum, castellorum, urbium et oppidorum.—(CIC.) «*Hæc tanta virtus ex hac urbe expellitur?* (ID.) «*Accepi Roma fasciculum litterarum*.»

b) Demitur etiam præpositio appellativis *rure, domo*. (CIC.) «*Adest vir judicii causa domo missus*.»

QUA? a) Respondetur accusativo cum præpositione *per*. Nomina autem pagorum, castellorum, urbium et oppidorum, *rus* et *domus*, ablativo sine præpositione—(CIC.) «*Iter Laodicæa faciebam*.»

b) Nominibus viarum, nonnullis appellativis, ut *terra, mari, platea, foro*, et aliquibus regionum, praesertim accedente verbo *vagor*, tollitur praepositio—(CIC.): *Cum mihi a C. Verre insidiae terra marique factae sint.*—(ID.): *Antonius tota Asia vagatur.*

* Quo? Respondetur accusativo cum praepositione *ad*, vel *in*, exceptis propriis pagorum, castellorum, urbium et oppidorum, *rus* et *domus*, quibus tollitur praepositio: *Cum in Africam venissem, Massinissam conveni.* [CIC.] *«Epistolas syracusas commodius mittere poterō.»* [ID.]

QUORSUM: Respondetur accusativo cum praepositione *versus*. (CIC.): *«Italiam versus navigaturus erat.»*

Appendix.

1. Substantiva apposita genitivo urbium, pagorum, etc., non genitivo sed ablativo cum praepositione *in*, aut sine ea efferenda sunt.—(CIC.) *«Archias Antiochiae natus est, loco nobili, celebri quondam urbe et copiosa.»*—(ID. Phil. 4.2.): *«Albae constituerunt, in urbe opportuna, munita, propinqua.»*

2. Genitivus *domi* illa sex tantum adjectiva admittit *meae, tuae*, etc.; nam cum aliis in ablativo cum praepositione *in* ponitur. OVID..... *In vidua..... domo.* Quod interdum fit etiam pronominibus.—(NEP.) *In domo sua facere mysteria dicebatur.»*

Si vero sequatur substantivus, utroque modo effertur. (CIC.): *Domi Caesaris.*—(ID.): *In domo Caesaris.*

3. Non raro historici ac poetae legibus priorum urbium nomina insularum ac regionum subjiciunt: (NEP.) *Conon plurimum Cypri vixit;* (VIRG.): *Ibitis Italiam, portusque intrare licebit.*

4. Praepositio nunquam omittitur cum exprimens est terminus a quo et ad quem, (qui solet hispane exprimi praepositione *desde*, á...)—(CIC.): *«Ex Epheso huc ad meum sodalem litteras misi.»*

5. Denique usitatissimum est praesertim apud Caesarem praepositionem *in* et *ex* detrahère substantivo loco: sic promiscue legitur: *«Quo aequiore loco praelium committerent,»* et *In loco manere tantum videbatur.»* Loco *cedere* cogebant. *«Quibus ex locis cum longius esset progressus.....»* etc.

Si respondendum sit per adverbia, reddentur, haec:

P. UBI? *¿dónde, en dónde, en qué lugar?*

R. *Hic, aquí.*—*Ibi, Illic, allí, en aquel lugar.*—*Istic, ahí donde tú estás.*—*Iníbi, allí mismo, en aquel lugar.*—*Ibidem, allí mismo, en el mismo lugar.*—*Alíbi, en otro lugar, en otras partes.*—*Alicubi, en alguna parte.*—*Ubique, en todas partes, en todo lugar.*—*Utrobique, en una y otra parte, en ambos lugares.*—*Ubilibet, ubivis, donde quiera, en cualquier parte ó lugar.*—*Ubicumque, en cualquier parte ó lugar, donde quiera que.*—*Passim, en diversas partes, á cada paso, por aquí y por allí.*—*Vulgo, en público á cada paso.*—*Intus, dentro, en casa.*—*Foris, afuera, en el exterior.*—*Nusquam, en ninguna parte, en ningún lugar.*—*Perëgre, fuera, de viaje.*—*Longe, lejos.*—*Prope, cerca.*—*Procul, lejos.*—*Supra, arriba.*—*Infra, abajo.*—*Subtus, debajo.*—*Superne, arriba.*—*Inferne, abajo.*

P. UNDE? *De dónde?*

R. *Hinc, de aquí.*—*Illinc, de allí, de aquel lugar.*—*Inde, de allí desde allí.*—*Istic, de ahí, donde tú estás.*—*Indidem, de allí mismo, de aquel mismo lugar.*—*Aliunde, de otra parte, del bando contrario.*—*Alicunde, de cualquiera parte.*—*Undique, de todas partes.*—*Utrinque, de ambas partes, de una y otra parte.*—*Undelibet, undecumque, de cualquiera parte, de donde quiera.*—*Eminus, de lejos.*—*Cominus, de cerca.*—*Intus, de dentro.*—*Foris, de afuera.*—*Perëgre de lejos, de fuera, de país extranjero.*—*Superne, de la parte de arriba.*—*Funditus, desde los cimientos, de raíz.*

P. QUO? *A dónde?*

R. *Huc, acá.*—*Illo, Illic, eo, allá, á aquel lugar.*—*Istuc, ahí, á ese lugar donde tú estás.*—*Eodem, al mismo lugar.*—*Alio, á otra parte.*—*Aliquo, á alguna parte.*—*Quoquo, quobis, á cualquiera parte.*—*Quolibet, á donde quiera que.*—*Utróque, á una y otra parte.*—*Quocumque, á cualquiera parte á donde quiera que.*—*Intro, adentro.*—*Foras, afuera.*—*Neutro, ni á una parte ni á otra.*

P. QUA? *Por dónde?*

R. *Hac, por aquí, por esta parte.*—*Illac, por allí, por aquella parte.*—*Istac, por ahí por ese lugar.*—*Eadem, por el mismo camino.*—*Aliqua, por algun lugar, por algun camino ó medio.*—*Quaqua, qualibet, quacumque, por cualquier lugar.*—*Utraque, por ambas partes.*—*Utralibet, por cualquiera de las dos partes.*

P. QUORSUM? *Hacia dónde, hacia qué parte?*

R. *Horsum, hacia aquí, hacia esta parte.*—*Istorsum, hacia ahí.*—*Illorsum, hacia allí, hacia aquel lugar.*—*Rursum, retror-*

sum, *hacia atras*.—Dextrorsum, *hacia la derecha*.—Sinistrorsum, *a la izquierda, hacia la mano izquierda*.—Aliorsum, *alorsus, alioversum, alioversus, hacia otro lugar*.—Quoquoversum, *quoquoversus, hacia todas partes*.—Utroqueversum, *hacia una y otra parte*.—Introrsum, *introrsus, hacia dentro*.—Deorsum, *hacia abajo*.—Sursum, *hacia arriba*

II

DE TEMPORE.

QUANDO?—Huic interrogationi tripliciter respondēri potest:

- a) Absolute, ablativo utemur: (CIC.): «*Quid proxima, quid superiori nocte egeris.*»
- b) Si referatur ad präteritum, per adverbium *ante* ablativo postpositum.—(CIC.) «*Quam (tempestatem) ego quatuordecim annis ante prospexeram.*» Vel per adverbium *abhinc* cum accusativo vel ablativo.—(CIC.) «*Horum pater abhinc duos et viginti annos mortuus est.*» (ID.) «*Quatuor abhinc annis.*»
- c) Si referatur ad futurum, per adverbium *post* additum ablativo. Quod etiam explicatur præpositione *intra*, vel simplici ablativo.—(VIRG.): «*Post aliquot (annis) mirabor aristas.*» (CIC.): «*Respondit triduo illum, ad summum quatruiduo periturum.*»

* QUANDIU? Accusativo vel ablativo casu respondetur.—(CIC.): «*Triennium provinciam obtinuisti.*»—*Aegyptum Nilus tota æstate opplētam tenet.*» (ID.)—Sæpe additur præpositio: *Sero resistimus ei, quem per decem annos aluimus.* (ID.)

QUANTO TEMPORE? (en cuánto tiempo)—Respondetur ablativo, vel accusativo cum præpositione *intra*.—(CIC.): «*Quatuor tragœdias sexdecim diebus absolvisti.*» «*Omnes Politii intra annum extincti sunt.*»

Appendix,

1. Cum tempus proximum, seu plus minusve certum significemus, utemur accusativo cum præpositionibus *ad*, *circa*, *sub*.—(CIC.): «*Nos te hic ad mensem Januarium expectamus.*»

2. Præpositio *in* solet adhiberi, cum tempus per eventus, aut adjuncta assignatur; sic ait Tullius: *Hoc in tempore, in illo tempore, in pace*, etc.

3. Dies, mensis et annus ponitur in ablativo adjuncto ordinalibus; rectius tamen utemur Calendario latino: en leges:

a) Prima dies mensis dicitur KALENDIS (a *kalends*): quinta NONIS (a *novem*: decima tertia IDIBUS (ab *iduo*) (CIC.): *In provincia mea fore putabam kalendis sextilibus.*»

b) Die his præcedenti, dicitur *pridie*, id est, *priore die*, cum genitivo vel accusativo, a subaudita præpositione *ante* recto: (CIC.): *Ad urbem accessi pridie nonas januaras.*»

c) Die sequenti kalendas, nonas, idus dicitur *postridie*, id est, *postero die*, cum genitivo vel accusativo, subaudita præpositione *post*.—(CIC.): «*Duas epistolas accepi postridie idus jun.*»

d) Pro reliquis diebus computatur dies, de quo agitur, cum sequentibus usque ad proximas kalendas, nonas aut idus incluso earum die: hic numerus dierum ponitur in ablativo, terminus autem ad quem refertur, id est kal. non. aut id., accusativo cum præpositione *ante* tacita vel expressa aut in genitivo.—(CIC.) «*Septimo decimo kal. sept. venerat Trebonius.*» Dicitur etiam; «*Ante diem septimum decimum kal.*, etc.»

e) Animadvertendum denique in mensibus martii, maji, julii, octobris, NONAS esse die septimo, IDUS die decima quinta. In mense Februario anni intercalaris dicitur bis VI kal, mart. (unde *bissextilis*,) diebus scilicet 24 et 25.

III.

DE CAUSA INSTRUMENTO ET MODO

1. Causa instrumentum et modus ablativo exprimuntur.—(CIC.): «*Vestra culpa hæc acciderunt.*»—(ID.): «*Quonam modo id ferret civitas?*»—(TER.): *Hisce oculis egomet vidi.*»

2. Attamen A) causa eleganter effertur præpositionibus *a*, *ab*, *de*, *ex*, *præ*, *pro*.—(CIC.): «*Nec loqui præ morore potui.*»

B) Instrumentum, sive medium præsertim animatum, accusativo cum præpositione *per* explicatur. (CIC.) «*Nemo est qui nesciat id per adversarios tuos esse factum.*»

C) Modus præpositioni *cum* venuste adjungitur. (CIC.): «*Semper magno cum metu incipio dicere.*»—(ID.) «*Cum febris domum rediit.*»

IV.

DE MATERIA, PRETIO, DISTANTIA, EXCESSU.

1. Materia ablativo cum præpositione *ex* effertur, cum agitur de rebus humana industria confectis (CIC.): «*Pocula*

ex auro.—Aliter, cum Terentio et Ovidio dices: *Montes auri*—*Flumina nectaris.*»

2. Pretium determinatum ablativo exprimitur. (CIC.): «*Tritici modius tum in Sicilia erat tribus sestertiis*» b) Indeterminatum significatur genitivis *tanti, quanti, tantidem, pluris, minoris.* (CIC.): «*Vendo meum frumentum non pluris, quam ceteri, fortasse etiam minoris.*»—(ID.) *Emit homo cupidus tanti, quanti Pythius voluit.*

Adjectiva *magnus, permagnus, parvus, multus,* sive in gradu positivo, sive in comparativo, sive in superlativo, cum de pretio sermo est, fere sine substantivo, ablativo effertur. (CIC.): «*Tu ista permagno aestimas.*»

3. Distantia et spatium accusativo vel ablativo effertur. (CIC.): «*Neque ab argento digitum discedere.*»—(CÆS.): «*Milibus passuum sex Ariovistus a Cæsare castris consedit.*»

4. Excessus demum ablativo explicatur, sive rei ille sit, sive qualitatis. (CIC.): «*Scipio omnes sale facetiisque superabat.*» (TER.) *Incredibile est quanto herum anteeo sapientia.*»

Appendix.

Sunt quidam genitivi pretii et aestimationis, qui ab auctoribus, sermone praesertim familiari, usurpari solent: *nauci, flocci, pili, teruntii, nihili* et iunguntur verbis *facio, habeo, pendo, duco*—(CIC.): «*Eum nihili facit.*» Dicitur etiam *pro nihilo* cum ipsis verbis, eadem verba aestimandi habent etiam genitivos: *magni, permagni, parvi, plurimi,* etc. Verbum *valeo* cum ad pretium refertur ablativum vel accusativum amat—(PLIN.): «*Scrupulum valeret sestertiis vicenis*»—(VARR.): «*Denarii, quod denos æris valebant.*»

Distantiam dimentuntur auctores genitivis *bidui, tridui, quadridui,* subaudito spatium, iter.—(TAC.): «*Exercitus Romanus bidui itinere abfuit.*»

LECTIO VIII.

DE PRONOMINIBUS.

Pronomen, ut vox ipsa fert, nominis vices gerit. Alia sunt primitiva *ego, tu, sui,* ex quibus septem alia derivantur inter quæ quinque possessiva. *Sui* et *suus* reciproca vocantur quia significant actionem quam aliquis in se ipsum

exercet. Alia sunt demonstrativa, quæ sæpe fiunt relativa, et pro substantivis usurpantur. Reguntur igitur pronomina, coherenterque substantivis; ipsa vero per se non regunt.

I

DE PRIMITIVIS ET POSSESSIVIS.

* 1. Genitivi primitivorum a quolibet nomine aut verbo regi possunt quæ patrium casum habeant; *nostrum* et *vestrum* solum numeralibus, partitivis, ac superlativis adherent—(CIC.): «*Habetis ducem memorem vestri, oblitum sui.*»—(ID.): «*Minus habeo virium quam vestrum utervis.*»

* 2 Utemur genitivis primitivorum, cum substantiva significant partem aliquam generalem corporis vel animæ, ut *pars, dimidium* etc.—(CIC.): *Necesse est partes quoque sui caras esse.*»

* 3 Possesiva post se habere possunt genitivum eisdem subjecti cui possessio refertur.—(CIC.): *Tuum hominis simplicis pectus vidimus.*» (ID.) *Nostro omnium fletu.*» Qui genitivus a subjecto nomine non a pronomine regitur.

Appendix.

1. Nomina quædam ambiguae significationis, ut *amor, memoria, oblivio, desiderium, cura* et similia, recto pronominis usu explicantur: *amor tuus* id est, *amor, quo tu amas;* genitivo *mei tui* etc. cum passio significatur: *amor tui*—*amor quo tu amaris*—(CIC.): «*Aviam tuam scito desiderio tui mortuam esse.*» Nonnunquam utrumque conjungitur. (ID.): «*Nicias tua sui memoria delectatur.*»—(ID.): *Grata mihi vehementer est memoria nostri tua.*»

2. Sunt tamen ambiguae significationis substantiva, in quibus lex tradita non servatur—(PLAUT.): «*Tua est imago, tam consimilis est, quam potest.*» Hujus generis sunt: *causa, injuria, vulnus,* etc., saltem apud Ciceronem: «*Te abesse mea causa moleste fero, tua gaudeo.*»

II.

DE RECIPROCO SUI ET SUUS.

* 1. Pronomen *sui* cum reciprocum est, supponit personam quæ exercet in se ipsam aliquam actionem: unde reciprocum refertur ad eandem sive in recto, sive in obliquo positum.—(CIC.): *Eorum est hæc querela qui sibi cari sunt*

seseque diligunt.»—(ID.): «*A Cæsare invitō ut sibi sim legatus.*» (ID.): «*Habetis ducem memorem vestri, oblitum sui.*»

2. Si duæ sint in oratione tertiæ personæ, *sui* ad priorem referri solet; si vero in earum concursu oriretur confusio, pro reciproco *sui* demonstrativis *is, ipse, hic* utendum est.—(CÆS.) *Petit* (Cæsar) *ab iis omnibus ut se frumento juvent.*»—(SALL.) «*Legatos ad consulem misit Jugurtha, qui ipsi liberisque suis vitam peterent.*»

3. *Suus* ad possessorem personam refertur, sive in recto sive in obliquo positam.—(CIC.) *Suum quisque noscat ingenium.*»—(ID.): *Ego illum de suo regno percontatus sum.*—(ID.): *Ajebat multa sibi oppus esse, multa canibus suis.*»—*Suus* refertur ad rem tanquam ad personam.—(VIRG.) «*Sunt hic sua præmia laudi.*»

4. Si duæ sint tertiæ personæ, *suus* ad eam quæ prior et princeps est, referri debet; si possessio ad minus præcipuam refertur, genitivis *ejus, ipsius, illius* utendum est.—(CIC.) *Pythius a piscatoribus petivit, ut ante suos hortulos postridie piscarentur.*»—(ID.): *Milo fit obviam Clodio ante fundum ejus.*

Appendix.

1. Usus pronominum *sui* et *suus* pro demonstrativis et vice-versa, ubi nullus est obscuritati locus, varius est apud auctores:—(CIC.) *Vos ex M. Favonio audistis Clodium sibi dixisse...* (ID.) «*Ita se gessit (Ligarius) ut ei pacem esse expediret.*»

2. Cum possessor pronomine *quisque* explicatur, *suus* illi anteponitur.—(NEP.): *Sui cuique mores fingunt fortunam.*»

3. Reciproco *suus* utimur cum res possessa ad possessorem transit.—(CIC.): *Illum ulciscuntur mores sui.*

4. *Sui* ponitur interdum pro *suus* et contra. (NEP.) *Ille imprudens ipse suus accusator fuit.* (CIC.): *Imitantes effecctorem sui.*

III.

DE DEMONSTRATIVIS.

1. Hæc pronomina rem demonstrant, de qua jam facta mentio est, pro ratione proximitatis ad loquentem, eadem fere ratione ac hispana pronomina, hoc modo.

Hic. . . *Este*—qui proximus est loquenti.

Iste. . . *Ese*—qui proximus est ei, quem alloquimur.

Ille. . . *Aquel*—qui ab utroque distat.

Is. . . *El*—de quo modo loquimur.

Idem, ipse. *El mismo*—quod pro *is* usurpatur.

* 2. Pronomina demonstrativa, si substantive sumantur, genitivum habent nominis cum quo convenire deberent.—(CIC.) «*Hoc ad te litterarum dedi.*»—(ID.) «*Id ætatis jam sumus, ut omnia fortiter ferre debeamus.*» Huc referuntur *hoc noctis, temporis, id solitudinis, virium* etc.—(ID.) «*Nec id nobis virium erat.*»

Appendix.

1. Pronomen *is* cum relativo *qui, quæ, quod*, exprimit locutionem hispanam; *tal, de tal condicion, que...*—(CIC.): «*Ego is in illum sum, quem tu me esse vis.*» (*Soy para él cual tú quieres.*) Sæpe pro relativo adhibetur *ut*—(CIC.) «*Non is sum, ut mea me maxime delectent.*»

2. *Idem* cum relativo *qui, quæ, quod* aut cum particula *et, atque, ac, ut* referunt locutionem hispanam: *el mismo que, la misma que* (CIC.) «*Peripatetici quondam idem erant qui Academici.*» More græco *idem* cum dativo apud poëtas reperitur.—(HOR.): *Invitum qui servat, idem facit occidenti* (ac qui occidit.)

3. Pronomen *ipse* additum primitivis, vel nominativo vel regimini coheret.—(CIC.): «*Mei ipse consolor.*»—(ID.) *Lentulum mihi ipsi antepono.*»

LECTIO IX.

DE PRÆPOSITIONIBUS.

Præpositiones in oratione complent, atque determinant ea quæ per verba cum suis casibus nec satis determinantur, nec clare explicantur.

Præpositio extra compositionem casus sibi proprios habet, regitque non secus ac nomen et verbum; in compositione sæpe influit in verba, efficitque ut casus præpositionis usurpent, tacita vel repetita præpositione; sic dicitur, *adire judicem*, vi componentis præpositionis. Quos casus postulent, ex ANALOGIA novimus: hic singularia quædam attingemus.

I

DE SPECIALI QUARUNDAM PRÆPOSITIONUM ACCEPTIONE.

1. Præpositiones accusativi.

Ad (junto á cerca de) portas (en) ædem Bellonæ. Sæpe omittitur ædem,—(hácia) urbem (hasta) meridiem.

Per (por medio de) nuntios (por) deos.

Ob (delante de) oculos, (por causa) rem judicandam.

Apud (en casa) patrem, (en las obras de) Ciceronem, (cerca de) oppidum.

Inter (durante, en tiempo de) ludum, cænandum, (entre) urbem ac Tiberim.

Præter (delante de) oculos, (mas que) cæteros, (menos) unum:

Adversus (en frente á) Italiam, (contra) Gallos.

Secundum (á lo largo de) flumem, (despues de) comitia, (segun) legem, etc.

2. PRÆPOSITIONES ABLATIVI.

Ab (del) senatu, ab epistolis (secretario) etc.

Pro (en favor de, en lugar de) patre, (en proporcion de, segun) sapientia, (ante) templis.

Tenus (hasta) Tauro; Ore tenus (de boca, de palabra.)

Præ (en comparacion) virtute, (delante de) se, (á causa de) gaudio.

3. PRÆPOSITIONES ACCUSATIVI ET ABLATIVI.

In adjuncta verbis quietis, et posita pro inter, ablativum postulat.—(CIC.): «In hac solitudine careo omnium, colloquio.» Cum verbis motus, et pro ad, contra, erga, per, accusativum amat.—(ID.) «Crescit in dies singulos hostium numerus.»—(ID.): «Petulanter in uxorem invasisti.»

Sub cum motum significat, vel adhibetur pro circiter, paulo ante, per, post, acusativum postulat; aliter ablativum, —(CAES.): «Pompeius sub noctem naves solvit.»—(CIC.): «Sub eas litteras recitatae sunt tuae.»—(ID.): «Si essent qui sub terra semper habitassent.»

Super ablativo servit, cum pro de usurpatur.—(CIC.): «Hac super re scribam ad te.» Accusativo cum contraria est subter, sive cum motus sit. (CIC.): «Super eam assidere.»

Idem pro inter.—(CURT.): *Super mensam debellaturum Alexandrum.*»

Appendix.

Super et subter reperies non raro apud poetas cum ablativo. (VIRG.): «Fronde super viridi.»

Clam, palam, procul, simul pro præpositionibus ablativi aliquando usurpata reperiuntur: clam filio, palam populo, procul voluptatibus, simul septemviris. Contra vero præpositiones ante, et post sine casibus.

3. Postponuntur suis casibus versus et tennus; interponuntur de, in, inter et nonnullæ aliæ præsertim apud poetas; duplicantur ex ante, usque ad—(CIC.): «Ex ante diem non jun., usque ad prid. kal, setemb»...—(ID.): «Certis de causis » (ID.): «Arpinum versus.»

Cum in his tantum semper postponitur: mecum, tecum, secum, nobiscum; interdum in his: quicum, quocum, quibuscum.

LECCION X.

DE ADVERBIO.

Adverbia adjectivum ac verbum afficiunt, eaque determinant et complent. Per se et ex natura sua non regunt, ut monuimus; induunt tamen persæpe nominum naturam, eorumque vices in regendis casibus gerunt. Gradus etiam, quemadmodum adjectiva admittunt:

I

DE ADVERBIIS Á NOMINIBUS ORTIS.

*1. Adverbia eisdem casibus junguntur, ac nomina ex quibus proficiscuntur.—(CIC.): «Non quæro quid dicat, sed quid convenienter rationi possit dicere.» (ID.): «Nihil lacryma citius arescit.»—(ID.): «Sapissime audio illum omnium fere oratorum latine loqui elegantissime »—(ID.): «Piso.... maxime ex omnibus eruditus fuit.»

2. Post adverbia minus, plus, amplius, quandoque subauditur particula quam.—(CAES.): «Non amplius octingentos equites haberent.»

3. Proprius et proxime accusandi etiam casum, solum aut cum præpositione ad admittunt.—(SALL.): «Hi proprius

mare Africum agitabant.»—(NEP.): *Proprius Tiberi quam Thermopylis.*

II

DE ALIIS ADVERBIIS.

* 1. Adverbia quæ quantitatem significant, ut *affatim satis, abunde, parum*, quibus accedit *instar* et *ergo pro causa*, genitivo junguntur. (SALL.): «*Satis eloquentiæ, sapientiæ parum.*»

* 2. Adverbium *ubi* cum compositis, et *quovis, quoquo, nusquam*, longe genitivos *terrarum, gentium* admittunt.—(CIC.): «*Ubi terrarum esses ne suspicabar quidem.*»

Appendix.

* 1. *Eo* et *huc* cum genitivo usurpantur.—(LIV.): «*Eo consuetudinis adducta res est.*»

* 2. *Pridie* et *postridie* genitivo vel accusativo adhærent.—(CIC.): «*Sententiam Bibuli pridie ejus dici fregeramus.*»—(ID.): «*Postridie Non. Jun.*»

* 3. *En* et *ecce* nominandi vel accusandi casibus junguntur: «*Ecce nova turba*»—«*en crimen*»—«*ecce miserum hominem.*» Hi vero casus subauditis verbis junguntur, sic: «*Ecce adest nova turba*»—«*En aspiciate miserum hominem.*» His abverbiis apponitur et dativus *tibi*.—(CÆS.): «*Ecce tibi Sertorius.*»

DE USU QUORUMDAM ADVERBIORUM.

I. Adverbia quæ a nominibus oriuntur terminantur ut accusativus in *um*, vel ut ablativus in *o*; priora positivis, posteriora comparativis uniuntur, finita in *e* aut *er* verbis sæpius adhærent.—(CIC.): «*Socer hujus vir multum bonus est.*» Multo superlativis etiam additur.—«*Arrogantia... multo molestissima.*»

2. *Facile* superlativis eleganter adjungitur, et significat *sine dubio*.—(CIC.): «*Roscius ejus vicinitatis facile primus.*» Item *longe pro valde*.—(CIC.): «*Longe... improbissimus.*» pro *multo* additur comparativis. (VIRG.): «*Longe melior Lycus.*»

3. *Per, perquam, oppido, in primis, cum primis, apprime, admòdum, vehementer*, positivis vim superlativi addunt.—(CIC.): «*Hæc quidem est perfacilis et perexpedita defensio.*»—(ID.): «*Cajus Mucius homo cum primis honestus.*»

4. *Quam* cum admirationi vel commiserationi servit, positivis jungitur.—(CIC.): «*Quam multa amicorum causa facimus.*» Item

pro *quantum*.—(CIC.): «*Quam sint morosi vel ex hoc intelligi potest.*» Sequenti verbo *possum*, superlativis adjungitur.—(CIC.): «*Quam potui maximis itineribus duxi.*» Omisso etiam verbo *possum*.—(ID.): «*Ea quam subtilissime prosequamur.*» Item pro *valde*.—(CIC.): «*Quam maximas gratias agas.*»—*Quam*, ut comparativa sequuntur.—(CIC.): «*Altius quam ut id nos humi strati suspicere possumus.*»

5. *Tam, quam* sibi mutuo respondent, sive verbis jungantur.—(CIC.): «*Tam te diligit, quam si vixerit tecum.*» sive nominibus; postulat vero positiva, rarius superlativa, rarissime comparativa.

LECCION XI.

DE CONJUNCTIONE ET INTERJECTIONE.

I

CONJUNCTIONIS est partes orationis et propositiones copulare. Pauca modo attingemus; fusius, ubi de propositionum structura sermo erit.

* 1. Conjunctiones copulativæ et disjunctivæ, quibus annumerantur *quam, nisi, an, præterquam*, casus similes temporaque similia connectunt.—(CIC.): «*Quid de pratorum viriditate, aut arborum ordinibus, aut vinearum olivetorumve specie dicam?*»—(ID.): «*Cura ut valeas, et nos ames*»—(LIV.): «*Tulior certa pax, quam sperata victoria.*»—Interdum huic constructioni certa dictionis proprietas obstat: «*Malui Panormi quam Syracusis esse.*»

* 2. Conjunctiones copulativæ repetuntur, ut vis dictionis augeatur.—(SALL.): «*Cives seque remque publicam curabant.*» (NEP.): «*Cum Xerxes et mari et terra bellum inferret*»

3. Conjunctionis denique proprium est verborum modos terminare; hac de re vide constructionis præcepta.

II

INTERJECTIO ea vox est qua animi affectum significamus: sæpe autem accidit, ut ex accentu sive tono, quo verba pronuntiantur, diversi exprimantur sensus, quin vocis structura mutetur. Alias hæc voces nominibus verbisque adjunguntur, de quibus hæc accipe.

1. *O, heu, proh* nominandi, accusandi et vocandi casibus adjunguntur: *heu* etiam dandi.—(TER.): «*O vir fortis,*